

peteret, donec cervorum gregem obvium habuisset, et illic civitatem habitationis sue conderet. Hec cum audisset, castra moveri iussit et peragrata tota Riparia ad fauces Moselle fluminis pervenit ac deinde per ripam ipsius ascendens Ardennam in vallem, que nunc vallis Trevirorum dicitur, exercitum perduxit. Cumque inibi castra collocasset, Trebeta diluculo castris digressus gregem cervorum obvium habuit, statimque responsi illius fatalis non inmemor socios prudentiores convocat ac lustrata omni valle supra ripam tandem fluminis inter tres colles civitatem descripsit ac fundamenta iaciens portas et turres statuit, ipsam^a ex nomine suo Treberim appellavit. Post hec templa et aras construxit ac deos consecrat, sacerdotes ac ministros ordinat et sacrificia libat. Deinde omnem convocans cohortem, ius civile decernens, senatores ac iudices constituit; et quia de^b multis linguis coadunati fuerant, idioma solius Theutonice locutionis ab omnibus tenendum decrevit ipsamque de aliis linguis supplens exornat et Theutathi^c, id est deo facundie, consecrat.

II f. Interim, dum hec aguntur, Semiramis de salute filii et exercitus sollicita et quia^d per internuntium aliquem scire non poterat, ad notissima astronomie convertitur indicia. Cumque per artem fugam filii ac se deceptam comperisset, mentem furibundam continuo iracundie armavit telo et per nigromantiam fanaticam advocat turbam ac per ipsos, in qua parte orbis filium reperire possit, addiscit. Nec mora, statim ut in occidente eum delituisse comperit, ordinatis rebus et relicto inibi Ninsa primogenito suo^e cum fortissimis pugnatoribus filiorum Gomer et Togorma ad persequendum filium proficiscitur. Denique et Trebeta, in arte astronomia more orientalium peritissimus, de statu matris vel fratris scire aliquid cercius volens astrorum cursus et ipse rimatur. Cumque matrem iam ad se properantem cognovisset, omni nisu montem civitati proximum, relictis intrinsecus columpnis, quibus sustentaretur, cavare festinat porticumque ante ipsam speluncam opere testudineo duabus columpnis subfulsit. Denique cum iam matrem adventantem prescisset^f, assumpta fortissima suorum turma obviam ei perrexit simulataque leticia cum canticis et choris eam suscepit et quasi flens pre gaudio in oscula ruit. Post hec infortunio navigationis in hanc

a) 'ipsamque' P. b) P; fehlt in B. c) 'Mercurio' P.
d) 'quae' P. e) 'filio suo' P. f) 'prascisset' B, am 'a' corr., vielleicht zu 'ae'.